





17. Germ 1893

Hist. Circ. Sax. Super. 193  
H. B. B. 88



~~380~~  
(49)

SYNODI  
STOLPENSIS  
GEMITUS.

---

*STETINI,*  
TYPIS GEORGII GOETSCHII,  
Pædag. Reg. Typogr.





I.



*Fortunata diu quondam Pomerania Mater,  
Dives opum, foecunda viris, satis urbibus  
auda,  
Jam (siquidem nihil hic firmum fixumq; relinquunt  
Fata) viris Spoliata, opum egens, nec, ut ante, Superba  
Urbibus, Ereptum, lugeto, funere acerbo  
Insignem probitate Ducem Patriaq; supremum,  
BOGSLAUM Decimum (nomen per amabile)*

Quartum

*Cumq; hoc Supremo patriæ Decus omne peremptum,  
Lugeto, & multas Lacrymarum fundito guttas,  
Heu dolor! heu vexata ingentia crimina Gentis,  
Quæq; procellosi superant delicta profundi  
Nubiferis alis quas colligit Auster arenas!  
Scilicet, hinc animis orta cœlestibus iræ  
Tot jussere pati, tot sunt patienda minata  
Ac terrent pavidas etiamnum nubila mentes.  
Nam, quando gravius, quam nunc, peccavimus un-  
quam*

*Cum*



Cum tamen haud poenas graviores sensimus unquam  
Mutuus in gelidis refrixit mentibus ardor,  
Tanta odiq; animos rabies accendit amaros;  
Ut sincera Fides, nec Fratrum pectora neſtat  
Sed miserere Ducum summe & Rex maxime Regum,  
(In quem spes fracta ruit inclinata salutis)  
Noſtri, & quæ tangunt anguntq; his exime duris  
Nos curis; noſtris Dolor & Dolus exsulet oris,  
Exsulet ira Furorq; & pervertentia mundum  
Cætera; cumq; Novo redeant Duce secla vetusta,  
Rura suæ Paci, Decori reddantur & urbes,  
Atq; fluant nitidis argentea gaudia rivis  
Nosq; Aquila, ut Gallina, Foventibus obtegat alis;  
Donec ubi sedes ostendunt Fata quietas  
Sat mundanarum jaſtatis turbine Rerum  
Jam libertatis veræ statione locandis  
Perpetua in supero faciat Deus Otia portu.

II.

EDe pios fletus Pomerania funde querelas  
Tristes, Principibus despoliata tuis.

BOGSLAUS Decimus Quartus, DUX ultimus  
Heros

Pommeria cecidit, non sine clade. Dole!

Væ, væ



*Vae, vae peccatis nostris! ea Cuncta minantur  
Vindictam. Ad finem tendit origo suum.  
Exsulat hei pietas, Ratio, Lex, Candor, honestas  
Trans mare se virtus contulit atq; Fides.  
Quis Fidus? Frater Fratri vix tutus habetur.  
Hæc peccata Ducem surripuere tuum,  
Hoc meminisse iuvat miseram, peccata fateri  
Contritoq; animò velle placare Deum.  
Ergò Deum toto Pomerania corde preceris  
Ut patriæ sanet vulnera, teq; beet.*

Nomine Synodi Stolpensis debitæ obser-  
vantia & condolentia Ergò f.

**M. PETRUS ZIMMERMANNUS,**  
Past. & Præpositus Stolpæ.





Hist. P. 122



